

Wd
561



H. 6



H. 68, 48.



9

ILLUSTRISSIMI CELSISSIMIQUE
PRINCIPIS
JOHANNIS ERNESTI
JUNIORIS
SAXONIÆ, JULIÆ, CLIVIÆ AC
MONTIUM DUCIS
BEATISSIMIS MANIBUS
JUSTA FACIT
GEDEON A WANGENHEIM
EQUES THURINGUS.

7ENÆ
Typis NISIANIS.



ERSTES BUCH
VON
JOHANNIS ERNESTI
JUNIORIS
SAXONIAE ELECTORIS
MONACHI DUCIS
BRITANNIAE MARITIMAE
JUSTI FACIT
GEBRONNEN VON ANGENHEIM

LEIPZIG

1711



SERENISSIMO 'CELSISSIMO QVE
PRINCIPI AC DOMINO
DN. ERNESTO,
DUCI SAXONIÆ, JULIÆ, CLIVIÆ
AC MONTIUM,
LANDGRAVIO THURINGiÆ,
MARCHIONI MISNIÆ,
COMITI MARCÆ AC RAVENSBERGÆ,
DYNASTÆ IN RAVENSTEIN:
DOMINO SVO CLEMENTISSIMO
FELICITATEM PERPETUAM
GEDEON A WANGENHEIM.

SERENISSIME PRINCEPS.



*C*ræsi filius; cui vocis usuram natura ne-
gaverat, cum videret militem stricto
anse ad Patrem accedere, & jam parum
abesset, quin transfoderet eum, perpetu-
um rumpens silentium, clamavit: Ho-
mo, ne occide Cræsum! adeoque infelicis
die, sicut Oraculum Delphicum predixe-
rat, primum locutus est. Similis ferè fors mea. Hanc mi-
nus disertam parumque in dicendo exercitatum Linguam
Tua, ILLUSTRISIME DOMINE, hoc est, publica,
calamitas suis quasi vinculis liberavit, & mihi, etiam in-
vito (quippe, qui loquentes audire malo, quam ipse loqui)
sermonem extorsit, infelici profectò die. Verè enim infe-
lix & carbone in fastis signandus est dies ille, qui JOHAN-
NEM ERNESTUM Tuam, Principem Juventutis, &

Sæculi Florem, non Tibi magis, quam nobis eripuit, omnes-
que Tecum afflictissimos reddidit. Ita extremus Anni
dies, idem extremè ominosus & miser esse debuit, malo-
rumq; totius anni quoddam compendium! Sed utinam
mihi fors in altero etiam communis cum Cræsi filio; & sicut
ille clamore suo Patrem servavit incolumem & viduum, ita
Desideratissimi JOHANNIS ERNESTI pientissi-
mam Animam precibus & querelis aut discedentem mora-
ri concessum fuisset, aut revocare jam liceret! Verùm, quia
hæc vires, non dicam meas, sed humanas superant; inter
lacrimas & luctum Orationem conscripsi Æternæ Illius
Memoriæ sacram. Hanc, CLEMENTISSIME
PRINCEPS, Pietatis meæ testem TIBI offero, Civis
Tuus. Quanquam non hoc tantum, sed etiam aliis nomi-
nibus omnia TIBI debeo. Alta enim devotaque mente
reposui Gratiam illam planè singularem, longèque maxi-
mam, quâ me meosque hætenus complexus es, & in hunc
usque diem complecteris. Hoc proinde ad pedes depositum
subjecti gratique animi Pignus tolle Indulgentissima Manu,
quâ clavum Reip. prudentissimè regis. Imò vultu eodem
dignare, quò verè Tuos dignari soles, hoc est, benignissimo,
adeoque conatus meos juveniles de meliore notâ TIBI com-
mendatos porrò habe. Deum veneror, ut, quos FILII
TU I, Optimi Principis ætati ademit annos, Senectuti Tue
addat, TE que serò restituat Cælo, unde, tanquam salutare
Sidus, digressus es; interea, dum civibus Tuis, Ecclesiæ suæ,
universaque Reip. Litterariæ benè velit, TE Celsissimam-
que Familiam Tuam servet ex omni parte sospitem atque
florentem.

PHILIPPUS HORNESI

Brunsvigas M. Orator. & Philos. Practic.

Prof. Publ. Ordinarius, suæ Facult. & Aca-
demix totius Senior

L. S. D.



Claudium Marcellum, Augusti
Imper. ex sorore Octavia, C. Mar-
cello Cos. nuptâ, & ab eo filium
& successorem Imperii adopta-
tum, quem Maro

*egregium formâ juvenem & fulgentibus armis
prædicat, sed, ut paulò post subjicit,*

*ostendent terris quem tantùm fata, nec ultrâ
esse sinent —*

summis laudibus & *Velleius Paterculus* & *L. An-
neus Seneca* ad cœlum usque attollunt. nec im-
meritò. Utrumque audire non ab re fuerit. I-
stius verba sic habent: *M. Marcellus, sororis Augu-
sti Octaviæ filius, quem homines ita, si quid accidisset
Cæsari, successorem potentix ejus arbitrabantur futu-
rum, ut tamen id per M. Agrippam securè ei posse con-
tingere, non existimarent; magnificentissimo munere æ-
dilitatis edito decessit, admodum juvenis: sanè, ut a-
junt, ingenuarum virtutum, lætusque animi & ingenii,
fortuneque, in quam alebatur, capax.* Hujus verò

A 3

ita:

ita: Octavia, Augusti soror, amisit Marcellum, cui & avunculus & socer incumbere coeperat, in quem onus imperii reclinaret: adolescentem animo alacrem, ingenio potentem; sed & frugalitatis continentiaque in illis aut annis, aut opibus non mediocriter admirandum; patientem laboris, voluptatibus alienum; quantumcunque imponere illi avunculus, & (ut ita dicam) in edificare voluisset, laturum. Bene legerat nulli cessura ponderi fundamenta. Post haec ad immensum atque incessabilem matris, ob filium amissum, mœrorem progreditur Seneca, Nullum, scribens, finem, per omne vitæ suæ tempus flendi gemendique fecit: nec ullas admisit voces, salutare aliquid adferentes. ne advocari quidem se passa est. Intenta in unam rem, & toto animo affixa, talis per omnem vitam fuit, qualis in funere. Non dico non ausa consurgere, sed allevari recusans: secundam orbitatem judicans, lacrymas omittere. Nullam habere imaginem filio charissimo voluit, nullam sibi fieri de eo mentionem. Oderat omnes matres, & in Liviam (Augusti fratris uxorem) maximè furebat: quia videbatur ad illius filium transisse, sibi promissa felicitas. Tenebris & solitudini familiarissima, ne ad fratrem quidem respiciens, carmina celebranda Marcelli memoriae composita, aliosque studiorum honores rejecit, & aures suas adversus omne solatium clausit, à solemnibus officiis seducta, & ipsam

ma.

*magnitudinis fraternae nimis circumlucentem fortuna-
nam exosa, defodit se, & abdidit. Assidentibus libe-
ris, nepotibus, lugubrem vestem non deposuit: non sine
contumelia omnium suorum, quibus salvus orba sibi vi-
debatur.* Quod si Illustrissimum quondam ac
Celsissimum Principem ac Dominum, Dn. JO-
HANNEM ERNESTUM, Ducem Saxoniae,
Juliaci, Cliviae, Montium, &c. Serenissimi ac Cel-
sissimi Principis ac Domini, Dn. ERNESTI,
Ducis Saxoniae, Juliaci, Cliviae, Montium, Land-
grafii Thuringiae, Marchionis Misniae, Comitis
Marcae ac Ravensbergae, Dynastae RavensteinI,
Salanae hujus Nutritii munificentissimi, Domini
nostri Clementissimi filium, verè Principem ju-
ventutis, ante hoc bimestre & dies bis novem piè
denatum, quasi in vitam revocatum mentis ocu-
lis penitiùs intuiti perlustraverimus, cumq; præ-
laudato M. Cl. Marcello, quà animi corporisq;
dotes admirandas, quà virtutum actionumque
honestarum specimina ac splendorem, contule-
rimus, parem omninò isti, quin superiorem de-
prehendemus, cognoscemus. Non hujus est pa-
ginae assimilationem istam in conspectum pro-
ducere: ex Oratione in Principis defuncti laudè
parentali crudita, quam Juvenis gente, mente,
virtute Nobilissimus, G E D E O N à Wargenhetra/
Eques

Eques Thuringus, domi meditatus, ad diem proximum *Veneris*, qui mensis hujus *Martii XIX. hora Xcima promeridianâ*, divinâ adspirante gratiâ, in *Angoarmejâ* Theologico habiturus est, etsi nec in ista adfertur, suâ tamen sponte oppidò dilucidè, nemini non, cui modò Marcelli istius vita non ignota planè, se sistet. Quemadmodum verò Serenissimo ac Celsissimo Dn. Parenti in luctu suo & dolore, ob filii singulariter dilecti excessum, perquam gravi, non tamen, ut Octavia, infinito (quo affici, stultam indulgentiâ Seneca alicubi vocitat, pariter ut nullo, inhumanâ duritiam) sed Christianâ ac piâ animi constantiâ mitigato, hoc Nobilissimi juvenis, religiosæ pietatis officium plenissimum, non ingratum fore, extra omnem dubitationis aleam est positum: ita Magnificum Academiae Prorectorem, Facultatum omnium Professores, Doctores alios, Doctorandos, Ecclesiæ Ministros, Magistros, Nobilissimos, eruditissimos Studiosos, ad diem & horam dictas, præsentiam suam honorificam, & audientiam benevolam Nobilissimo juveni haut denegaturos confido: ne denegent, quâ par est, observantiâ, studio, humanitate oro & peto. P.P. Dominica Oculi, quæ erat XIV. Mensis Martii dies, Anno c l o l o c l i x.



Magnifice Pro Rector, Patres Academiae Conscripti, Mecenates Venerandi, Florentissimi Juvenes, Amici Coniunctissimi, omnium ordinum Auditores Honoratissimi.



Halam & antiquissimam, & propter res in orbe gestas incomparabilem Saxoniae Domum, semper formidabilem hostibus, civibus salutarem, infelicissimis casibus, & crebris quasi fulminibus, adeo concussam hodie videmus, ut in ejus, si non interitum, magnam certe perniciem conspirasse facta non immerito judicare possimus. Neque enim saevire in animis desiit vulnus, quod Grandævus Ille & Venerabilis Heros, Princeps Potentissimus, JOHANNES GEORGIUS, Sacri Romani Imperii, non suarum tantum provinciarum, Atlas Inviictissimus, suâ nobis ruinâ inflixit. Quin adhuc lacrimas etiam debemus FRIDERICO Nostro, in quo Ruta Germen Nobilissimum, Academia hæc summum Præsidentem, & quam ex eo habebat famam gloriamque, amisit. Quæ quidem publica lugendi necessitas, quamvis longè gravissima, tam dura, tam aspera non fuit, ut nullam solatio viam post se relinqueret, nullum mœrori temperamentum. Serenissima quippe Dresdensis Aula pro Patre Filium successorem habet, quâ merita non minorem Patre futurum, quâ

B

Virtutes jam parem. Hic paterni sceptri Hæres jam prædem regionibus suis universaque Germaniæ fulgentissimam lucem, quam Ille subtraxerat, ita restituit, ut Sol obierit quidem, Nox tamen nulla fuerit inde subsecuta. Neque verò Celsissimæ Vinariensi Domui, quò se tandem erigere queat, deest; quæ interea ex Filio, Imperii proximo successore, Sobolem vidit, felicissimo partu, maximo omnium desiderio, editam. Imò fortassis dubiū videri potest, si utriusque fortunæ inter se comparet casus, plusne amiserit an acceperit. Sola calamitas, quæ Illustrissimam Aulam Gotanam premit, & immensa est, & insuperabilis. Huic, quod non admirari, sed obstupescere, non gemere, sed lamentari audientes facit, quatuor, & inter ea quidem non magis ætate, quam virtutibus florētissima Pignora Mors eripuit. Brevissimâ temporis intercapedine; ne justissimarum lacrumarum cursus sistere unquam posset. Utriusque sexus; ut virilem juxta ac muliebrem turbam idem doloris tangeret impetus. Inter Filios nati minimum; ne qua Summis Parentibus tenerrimum affectū exserendi superesset occasio: Seniore denique; ut omnis cum eo spes rueret, & qui solus tantorum malorum poterat esse lenimenrum aliquod, luctum redderet intolerabilem. Ecquis tam duri ingenii, tam ferrei pectoris esse potest, nisi aut canem habuerit nutricem, aut lupam matrem, cujus nec commoveat animum, nec intima viscera sauciet hæc toties repetita clades? Sed quanquam ea omnino tanta est, ut, cum universos, tum verò imprimis eos, ad quos damnum inde redit irreparabile, modò non exanimes faciat, omnēq; simul verbis adimat viam; nescio tamen, an sine turpissimi silentii crimine solis lacrumis obrui &

& quasi involvi possit. Ne quid enim de Beatissimis Heroinis, omni encomio, quod in Foemineum Sexum cadere potest, longè majoribus, dicam (quarum quæque suum præconem inveniet); certè Optimi Principis, JOHANNIS ERNESTI Virtutes Incōparabiles, cum non nostræ tantum ætatis, sed omnium sæculorum memoriã mereantur, absit, ut aut Vate, aut Oratore careant. Equidem, si devotissimæ subjectionis intueor reverentiam, quam toti Serenissimæ Familiæ Gotanæ infinitis nominibus debeo; illius officii partem adeò ad me pertinere sentio, ut, si penitus detrectare velim, non possim in pietatis leges gravissimè non impingere. Quare, etsi me operi huic maximè imparem probè agnosco & ingenuè fateor, illas tamen Desideratissimi Principis Nostri consummatissimas laudes, cum exprimere nequeam, saltem adumbrare, mecum constitui. In eo, Auditores, benè educati Principis exemplar ante oculos vobis ponam. Quandoquidem verò, si examusim quæque expedire vellem, non Oratio, sed volumen aliquod mihi conscribendum esset, ex iis compendium faciam, in paucissima omnibus contractis. Dicenti mihi, ut aures benevolas ad breve tempus commodare velitis, impensissimè oro, & tantò magis quidem, quantò minus ex culto stilo utar, meique ingenii mediocritas materiæ gravitati respondebit.

Pro regentis indole mores populi esse, non modò sapientes omnes docent, sed etiam res ipsa loquitur. Enim verò, ita est: non tam legibus movemur, quam exemplis eorū, qui omne, quod agunt, præcipere videntur. Unde, quod Sol mundo est, hoc Principem suis esse, non immerito dixeris.

in orbe, aut vigent, aut langvent; ita ad hujus naturam omnia in societate civili se componunt, & aut recta sunt, aut prava. Felix ergò incolumisque Respub. æstimanda est, cui bonus contigit Princeps; pessima ruinæque vicina, cui malus. At bonum Principem non nisi eum nomino, qui & clavum Reipub. tenere convenienter potest, nec, quod punire in aliis debet, ipse facit. His universa regnantium virtus absolvitur, his tota innititur civium beatitudo. Quicquid enim ad salutare sceptrum pertinet, aut continetur in iis, aut ab iis descendit. Cætera magis pro consuetudine, quam pro necessitate sunt: quanquam haud immeritò iis etiam locus aliquis relinquendus est, quæ ob singulare sui ornamentum ad tuendam augendamque majestatem Principis faciunt apud exteros non minus, quam suos. Sed quæcunque in eo, qui fascibus gerendis idoneus censendus, omni ex parte reperire fas est, rectius in JOHANNE ERNESTO Nostro animadvertere licebit. Pietatem, præcipuam Principis Christiani virtutem, si spectamus; non diversorium aliquod in Ejus animo invenerat, sed domicilium sedemque perpetuam, tamque firmam, ut etiam quæ humanis sensibus affectibusque jucundissima sunt, vehementissimè detestaretur, omnique studio vitaret, si ullam in iis impietatis vel injustitiæ notam deprehenderet. Hanc raram piæ mentis integritatem, cum in omnibus vitæ actionibus, tum potissimum in iis, quæ ad cultum Dei religiosum pertinent, evidentissimè declarabat. Nullus inter milites, etiam fortissimos & veteranos, victoriæque studiosissimos, tam promptus esse potest, cum ad Arma conclamatur, quam Ille fuit, quoties ad sacra sive privatim, sive publicè habenda evocaretur.

Adeo

Adeo velociter à profanis animum avertere, rerumque omnium moderatori summo pectus humanis curis purgatum sistere didicerat! Scilicet bene gnarus, in bellis, quanquam injustissimis, pro lege tamen supremâ esse militantibus vocem, Imperatorem sequendum esse: indignissimum judicabat homine in Ecclesia Christi, quæ in terris est, stipendia merente, non obedire statim signo, quod Deum sequendum & adorandum esse admoneret. Sine consilio Dei precibusque ad eum fuis, nec diem incipere solebat, nec quicquam aggredi. Fiebat inde, ut nec susciperet negotium, quod Deo displicere noverat, & semper tranquillam possideret mentem, benevolentia divina sibi maximè conscius, quæ sola nos veræ illius æternæque beatitudinis, quam speramus, capaces reddit & certos. Neque verò solo cœlestis vindictæ metu, quam scelera punire gravissimè, non adversari modò, satis perspectum habebat, & fugiebat turpia, & honestati studebat. Quin tantus in eo ardebat virtutis amor, ut, etiamsi temporis aliquam partem futuram esse credidisset, quo peccata quædam cœlo terrisque ignorarentur, & prorsus impune committi possent, nullum ex iis, ne omnium quidem levisimum, perpetrandum sibi proposuisset. Qualem Illius erga Celsissimos Parentes existimatis animum? Hos utrum majori observantia an amore prosecutus fuerit, difficile dictu est. Quicquid profectò, non dicam, imperabant, sed svadere tantum videbantur, adeò sanctum habebat, ut negligere, flagitium putaret, certè in turpissimis poneret. Idque erat bonæ educationis præmium. Quare semper ita colebat eos, ita diligebat, ut nullam in iis adversus se indignationem aut iram excitaret, nullam tristitiam, si hanc

unicam exceperis, sed incredibilem & summam, cum iis, turbato mortalitatis ordine, jam ex humanis discessurus valedixit, oculosque claudendi necessitatem imposuit. Quod si jam cæteras, ex pietate, tanquam fonte quodam, scaturientes virtutes attendamus, quantus quæso in laudes Ejus excurrendi campus se nobis offert? Quid enim de Temperantia dicam, rara in Aulis aevæ, nostris præcipuè temporibus? At huic quam seriò dederit operam, testatur odium, quo omnem & libidinem & luxuriam ebrietatemque est execratus. Purissimus cordis affectus, aureæ castitatis semper amantissimus erat. Unde scurriles sermones, jocos lasciviam sapientes, nunquam sibi indulgebat, ut audiret, tantùm abfuit, ut proferrer! Alius solum facere abhorruisset, quod hic ne cogitare quidem sustinuit. Temulentiam, Bone Deus, quam fugiebat, quam detestabatur in aliis! Et sicut in eo, perinde ut in cæteris omnibus, Illustrissimi Parentis virtutem, prorsus singularem, & si mores sæculi nostri spectes, verè incomparabilem, æmulabatur, ita, ad Illius ingenium, quos aliquoties crapulæ plenos viderat, non aliter habebat notos, quam eos, qui stigma indelebile fronti sceleratæ iniustum gestant. Quippe nullum esse delictum, ex quo plura sive scelera, sive incommoda orientur, bene intelligebat. Tuas, Hannibal, vires domuit luxuria; tuum hæc eripuit tibi regnum, Sardanapale. Cædem Cliti, servatoris tui, Alexander Magne, ebrietati tuæ debes. Hæc Te fregit, quem Darii arma vincere non poterant. Hæc Te scorto obedire, & Persarum regiam cedro ædificatam jussit comburere, quodque fastigio dignitatis tuæ minime respondebat, primum ignes injicere. Hæc indolem, qua omnes reges antecedebas, illam in sub-

eun-

eundis periculis constantiam, in rebus molendis effici-
endisque velocitatem, in deditos fidem, in captivos cle-
mentiam, inextirpabili macula foedavit. Accepit ali-
quando hic ipse Alexander ab Indorum Rege puellam,
elegantissimam quidem specie, sed quam nemini, sine in-
fectione, attingere liceret, quod veneno esset nutrita, cu-
jus natura hoc alimenti genus ferre poterat. Talis quæ-
dam foemina est Ebrietas. Quorum hæc amorem sibi
conciliat, non temerè dimittit sine toxico & magnâ seu
corporis, seu animi labe. Hæc illa est Helena, de quâ
hodiè certatur, non in campis, sed in contuberniis, præ-
cipuè Regum ac Principum, non armis, sed poculis. Plu-
res hoc intestinum bellum peremit, quam illud Troja-
norum, quippe non decennio finitum, sed cujus finem
multis abhinc sæculis nondum videre contigit. Antio-
chum, Syriæ Regem, à sodalibus, quos temulentus in
convivio pulsaverat, occisum videbis apud Aurelium
Victorem. Quinquaginta Compotatores exanimis,
tibi Plutarchus monstrabit. O sublime igitur Princi-
pis Nostri ingenium, qui prudentissimè noverat, nullas
intemperantiæ habenas permittendas esse, non tantum,
quod per se vitium longè pessimum, & si quod aliud,
non dicam Principe, sed homine indignissimum, verum
etiam, quod ad evertendam Reip. felicitatem proxima
omnium esset via! Mansuetudo Illius, Modestia & Af-
fabilitatis, cujus non pervenerunt ad aures? Publicè
enim notum est, non ferox & severum ei supercilium,
non elatum fuisse animum, sed mitem, placidumque,
nec abjectum tamen, sed generosum, ad promerendam
superiorum æqualiumque benevolentiam, conciliandū
populi amorem, sine quo nullum imperium felix & tu-
tum

tum diu esse potest, naturali quadam propensione convenientissimum. Quæ cum Purpuram Principis Desideratissimi redderent omnibus conspicuam, miseri potissimum, quibus & aditu facilem, & in ipso colloquio indulgentissimum se præbebat, ineffabile gaudium inde solatiumque percipiebant. Homines privatos invenientes, qui eam cultorum suorum confidentiam ægrè tulissent, quam Noster patientissimè tulit, nullam rem aliam propius ad divinæ majestatis indolem, quàm clementiã accedere, scientissimus. Sicut ergò moribus antiquis, hoc est, bonis, vivebat, ita mediocri honoris pompa contentus, cum esset Virtute ILLUSTRISSIMUS, CELSISSIMUS Animo, esse malebat, quam vocari. Unde nihil ei magis invisum erat, quam vel in scriptis, vel in colloquiis animadvertere hodiernam titulorum luxuriam, præcis temporibus ignoratam, quos nemo verè cordatus sine pudore aliis tribuere, nemo nisi extremè superbus admittere potest. Nimirum, haud præter rationem indignabatur, quam Majores Nostri in factis, hanc plerosque in folis verbis gloriam quærere.

Atque hæc est Principis Nostri Beati rudi penicillo depicta Pietas, quam indissolubili vinculo ita cum cæteris virtutibus copulavit, ut honestè vivendi normam, non tam ex legibus & præceptis, quam ab illius actionibus petere populus potuerit. Transeo ad ornamenta reliqua, non minorais, de quibus verba hæctenus feci. Sed non est, ut putetis me prolixè dicturum, quam decenter movere corpus, quam convenienter Equum regere, quàm solerter denique gladio uti & cætera arma tractare poterit, quæ personam Principis quidem decent, multumque splendoris Nostro addebant, sed longè inferioris

con-

conditionis sunt, quam ut primas obtinere debeant.
Quin hæc omnia, velut ignes Luna minores, ut cum Poë-
ta loquar, antecedit Eruditio, inæstimabile bonum in
Principe. Da enim mihi Principem literarum minimè
peritum: quæ ratione & seipsum gubernare poterit, &
suos? Alienæ profectò prudentiæ indigus, totius Imperii
summam, omnesque pro Rep. curas aliis debebit con-
cedere. Hoc sine verò imperare est? Quod si autè, cum
de salute civium deliberandum erit, de controversiis in-
ter eos ortis ferenda sententia, eorum arbitrio & iudicio
statim detrectaverit, quos sibi à consiliis esse iussit, bone
Deus, quoties se turpiter geret, suamque in consultando
imprudenciam, in dicendo jure ignorantiam prodet?
Quæsitus Aristoteles quantum distarent à doctis rudes;
quantum viventes à mortuis, respondit. Percipere desi-
deratis, Auditores, quantum Princeps literatus ab ineru-
dito distet? Omnium pace dicam; quantum verus Deus
ab Idolo. Sicut enim hoc cultum cum illo communem,
non potentiam, non sapientiam, non justitiam habet:
ita Principes rerum civilium prorsus ignari eandem qui-
dem dignitatem externam, quam literati, habent, sed
non merentur. Nihil tale quid in Nostro Principe ti-
mendum, cujus animus à ita studiis excultus atq; exorna-
tus fuit, ut Trajanum vel Antoninum aliquem rediisse
nostra suo tempore intellexisset ætas. Enimverò, si in-
genium Illius considero, aptissimum literis; si iudicium,
majus, quam pro annis, erat; si denique voluntatem; ar-
tium Principe dignarum à teneris flagrantissima. Unde
ad magna cum natus esset, etiam educatus est. Non e-
nim cum Nerone inter tonsores, cum Vitellio inter sal-
tatores, aut inter potatores cum Heliogabalo ætatem

C

con-

consumsit, sed optimorum quorumque Imperatorum exemplo, magis doctrina morumque gravitate, quam robore & armis præstantes viros, mentis potius, quam corporis custodes habere comites gavisus est. Hos sicut amavit impensissime, lubentissimeque audivit, ita nunquam nisi doctior abs se dimisit. Latinam Linguam tam benè calluit, ut non minori labore latinè loqui sciverit, quam scribere, imò verò non latinè modo, sed quod majus est, Romanè. Unde quoties, juvenis quidem, sed gravis in strâ Periclis aut Tullii, de cathedrâ detonavit, illustres æquè ac eruditas aures incredibili & duplitate perfudit, omnesque Auditores in admirationem sui rapuit. Neque verò obstitisset quicquam, quò minus vel de nuperrimo Germaniæ bello, vel de rebus suo tempore gestis commentarium, non dissimili verborum elegantia, quam Julius Cæsar de suis bellis, potuisset nobis relinquere, si voluisset. Latinæ Linguae addidit Asiaticam, humanissimæ gentis Gallicæ. Dispari nihilominus industria utramque excoluit, quod illam sibi necessariam crederet, hanc utilem. Sed quanquam magnæ laudis est in Principe Nostro Eloquentia Linguarumque cognitio, majoris tamen est exquisita eorum scientia, quæ ad prudentiam civilem spectant, & maxime Principem eruditum faciunt. Enimvero, si ne privatus quidem & plebejus sine prævia rerum Oeconomiarum notitia, undecunque hanc sibi comparaverit, familiam suam rectè gubernare potest, an populis terrisque feliciter præerit, qui ignorat artem imperandi? Sed in ea profectò Noster adeo profecerat, ut non solum Reip. species inter se discernere, & regnantis pariter, ac parentis officium, sed & quid Regem faceret, quid opti-
ma-

matibus regiminique populari conveniret, & quod longè gravissimum, quibus mediis quæque societas civilis administrari omnium optimè possit, exactissimè nosset. Idque non tam præceptis, quam Historiæ debebat. Cum enim attentus & prudens illius esset lector; sicut omnium seculorum res gestas memoria tenebat, ita ex iis iustissimas tyrannorum pœnas, instabiles fortunæ vices, semper vehementius furentis in magnis, benignius tractantis res parvas, de conservandis & contra hostium dolos muniendis provinciis, sedandis tumultibus publicis, suscipiendis & gerendis bellis, dissimulandis injuriis, quibus impar es vindicandis, & sexcentis aliis, salutaria consilia magno conatu observabat. Et hæc omnia quidem ex suis fontibus, hoc est, monumentis veterum, hauriebat, quod nec lectionis tedium, propter sermonis ornatum, sentiret, & multum sapientiæ in sententiis subinde inspersis latere animadverteret. Hinc, si forte præcipuorum regnorum initia, clades, atque interitus in Justino legeret, aut in Curtio Alexandri Magni in subiicienda sibi Asia fortitudinem, aut denique in Floro admirandam Reip. Romanæ originem, raramque in debellandis hostibus virtutem non minus atque fortunam; puram illius dictionem, istius excelsum & cum insigni delectatione singularem stilum; hujus nervosam brevitatem magnificiebat. Inprimis autem ardebat amore Taciti, quod in ejus verbis, secus atque in aliis scriptoribus, reconditos ideoque magis gratos, nec vulgares, sed arcanos prudentiæ politicæ characteres deprehenderet. Et cum turpe duceret, scire historiam exterorum, sed negligere patriam, pari mentis alacritate perlustravit veteris Saxonæ annales, tantoque vehe-

mentiores ad virtutem stimulos inde sensit, quanto plura sapientissimè facta, quantò evidentiora in Majoribus suis laudis immortalis vestigia notare potuit. Has animi sui divitias, quando secretioribus Aulae consiliis & Politicis & Ecclesiasticis interfuit, seque ad subeunda futuri Imperii onera reddidit habilem, magis stabiliverit an auxerit, incertum est. Ac ne quid eorum, quæ ad educationem omnibus numeris absolutissimi Principis quocunque modo pertinere videntur, deesset; ut jam pubescente ætate, eruditioni ex sufficientissima institutione, librisque optimis partæ adderet experientiam, missus est in regiones sibi incognitas, sed intra Germaniam, raro quidem exemplo, magno tamen prudentiæ indicio. Ineptissimè enim agunt, qui cum terras peregrinas, maximis sumptibus, perlustrant, non magis in Galliis aut Italiâ hospites sunt, quam in Patriâ. Neque verò, multorum more, aut deterior rediit, aut solas maximarum urbium magnificentissimè extructas ædes, montium, silvarum, fluminumque species impressit memoriæ, sed in alienis Rebus publicis observare studuit, quod in suâ vel emendare aliquando posset, vel introducere.

Tantum, Auditores, in JOHANNE ERNESTO Principem amissimus! Tanta in eo amissimus bona! Tanto graviolem proinde ex illorum jactura dolorem omnes non immeritò percipiunt. Regiminis Virtutumque Heredem Illustrissimus Parens, Cultorem suum Celsissima Genitrix, Solatium Fratres Sororesque, Delicias Amoremque Populus, Respublica deniq; litteraria vivum rectè educandi Principis Exemplum, se perdidisse conqueruntur. Hic jam hæret horretque animus ex
tam

tam acerbo vulnere immane quantum consternatus.
Major est luctus, quam ut copiosis conquestibus locum
relinquat, major accepta clades, quam ut verbis exprimi
queat. At quid proficiemus tandem in terram dejici-
endo oculos? elevemus ad cœlum. Dei nutu omnia
fieri, ejusque voluntati submittendam esse nostram, hoc
nobis dicitur.

Tu ergo supreme omnium rerum arbiter, benigno
iterum vultu respice. Tui amantissimam Aulam Gota-
nam, absterge oculis lacrimas, mœrorem animis deme,
aut saltem minue; præprimis autem in ea Serenissimum
Principem, ERNESTUM, illum Saculi nostri Dictato-
rem Pietatis Perpetuum, solatio erige, Domui ejus per-
ennitatem adde, utque de Ecclesiæ Tuâ omnibusq; ho-
nestis studiis bene mereri diutissimè possit, omnis feli-
citatibus genere florentissimum diutissimè con-

serva.

D I X I.



C 3

CAR.

C A R M E N,
quod sequitur,
Pietatis Summiq; Cultus ergo,
BEATISSIMI PRINCIPIS
Memoria consecrat
MARTINUS HANNKIUS, SILESIUS
Philosophiæ M. & P. Cæsareus.

Aurum, Phœbe, mihi, sterilem mihi detrahe Lau-
rum:

Nulla triumphantis me jam delectat imago.
Si gestare tamen debent mea tempora frondes,
Turbatis lacerisque comis impone cupressum,
Non sacra Parnassi memorabo festa Salani,
Sint quamvis nec visa mihi, nec visa cuiquam,
Nec venient spectanda, nisi cum Nestoris annis:
Non vicina canam redeuntis gaudia Veris.

Nempe quidem, sed triste paro, sed flebile carmen,
JOHANNES ERNESTE, Tuo, lugentis Asylum
Saxoniae, mox ipse novi fons ipse doloris,
Heroës inter Flos illibate, sepulcro.
Hoc sibi, quod cunctis esset memorabile sæclis,
Delegit, nutu qui temperat omnia, funus.
Una duas ubi vidit hiems abiisse Sorores,
Se Fratris feretro gaudet quoque jungere Frater.

Jam mihi, quisquis ades nostris novus advena terris,
Attonito cum Cive, gravem plorante ruinam,

Ad.

Adspice, ram crebro concussam fulmine, GOTAM.
Te nisi tanta movent dispendia, quamlibet hostem,
Immitem duro gestas sub pectore Thracem,
Aut lupa dente rapax te nigro exclusit in antro,
Aut rabiosa tibi canis ubera præbuit altrix.

O si, quando ferox tot rupit stamina Clotho,
Et nulli voluit, voluisset parcere foli,

JOHANNES ERNESTE, Tibi, Spes una Tuorum!

Omne malum poterat nobis exile videri.

Te pereunte perit Speculum Virtutis Avitæ,

Certa Salus Patriæ, Musarum nobile Fulcrum,

Norma Juventutis, quam celsior educat Aula.

Heu tantum Mundo quæ reddent sæcula Pignus!

Egit tunc meritò Germania tota triumphum,

Cum Natura Tibi vitales tradidit auras,

Sublimemque dedit pulcro cum corpore mentem.

Parvus adhuc ætate puer quodcunque parabas,

Ex hoc ingenium nemo puerile notavit.

Scilicet ut lævam plus exsultare papillam,

Et tenerum circa pectus cum robore magno

Ingenitas cordis vidit prorumpere flammæ,

Exspectare diem metuit Prudentia justum.

Quantus Frontis honor? quam mitis gratia Vultus?

Terruit ille malos, fregit gravitate superbos:

Hæc timidis animos, solatia præbuit agris.

Nec rudis & vecors impubes transiit ætas,

Exemplis corrupta malis & moribus ævi.

Prima fuit Tibi cura Deo placuisse bonisque,

Auscultare Sacris, cœlestes volvere libros,

A teneris omnem rectè disponere vitam,

Imperiumque Tuo faustum promittere civi.

Non

Non Te luxus iners habuit, non sacra libido,
Dulce quidem, sed turpe nefas, pestisque iuventæ,
Non pigra desidia; grandes tolerare labores,
Res Tibi regalis, generoso pectore digna.
Faucibus ingentes avidis vacuare culullos,
Nocturno certare mero, certare diurno,
Non hoc, cui melior Genius suadebat honestum,
Credebas virtutis opus, specimenque virilis
Roboris, aut vitium pro tempestate ferendum
Præsenti, sed crimen atrox & morte piandum,
Lurconesque Tuis omnes, pietatis amore,
Frugalis Piso mensis procul esse iubebas,
De meliore nota vinum consumere natos.

Nativo contenta suo splendore, suisque
Dotibus, admisit nullum. Tua Purpura fucum.
Nullus adulator, pravô qui subdolus astu,
Quamlibet ingenuos, Heroës perdit Ephebos,
Mentiturque Deos & legibus esse solutos,
Tale tuis instillavit lethale venenum
Auribus, & fastum svasit juvenilibus annis.
Solius nec enim divina modestia vulgi est,
Privatumque decus. Plus hæc ex murice fulget.
Mentibus afflictis hæc Ara salutis amica,
Hæc sceptrum populos jubet expectare benignum.

Inde Tuus nullis animus monitoribus asper,
Jura sibi legesque dari permisit honestas,
Olim ut prudenter posset dare gentibus ipse.
Imperio nutus potuit satis unicus esse.
Sic gravis & minus ex vulgari stirpe Caballus
Se flectit tenuem virgæ solius ad umbram.
Te non invitum comites sibi jungere vidit,

Quos

Quos dederat studiis custodes Aula paterna,
Et pietate graves & Palladis arte madentes.
Nam pullos Aquilæ si format Noctua deses,
Non docet ignitum Phaëtontis in æthere currum
Intrepidis spectare oculis & pectore firmo,
Non altas superare cedros pernicipibus alis,
Et medias inter nubes abscondere se se,
Sed captare levem tenebrosa fronde quietem,
Totos sæpe dies humili residere sub antro.

Quicquid Græca docet, quicquid Romana vetustas,
Ingenio par omne Tuo, par omne vigori.
Magnificis quoties verbis & voce diserta,
Gallica seu placuit, seu Lingua Latina, tonantem
Te proceres stupuere tui, stupuere Ministri!
Quæ sint jura Sagi, quæ tempore pacis agenda,
Quò regnum munire modo, partumque tueri,
Quo mulcere probos, reprobos punire, rebelles
Ad frugem revocare bonam, sine sanguine, cives,
Atque intestinas deceat componere lites,
Sonte suâ quæ subjectis, quæ Marte secundo
Tradere conveniat populis præcepta subactis,
Saxoniam præclara Tuæ monumenta legenti
Discere, deliciae Tibi sunt, lususque jocusque.

Sic nostro rarus docuisti tempore Phoenix
Exemplo vitaque Tuâ consumere primam
Illustres Animas sublimi Principe dignis
Artibus & puram sceleris maculaeque juventam;
Non ea neglectis pueros tractare Magistris,
Quæ tractasse virosque pudet rugasque seniles.

Si, Dux Celse, Tuum positò Diademate Sceptrum

D

Usur-

Usurpare meis olim licuisset ocellis,
Non ego Romanos optassem cernere Fasces,
Non auroque gravem nitidamque adamante Tiaram
Persidos, aut Ferrum, quô Terror maximus orbis,
Pellæus juvenis Darii contudit arma.
Tu poteras nostri Pius Antoninus haberi,
Justus Aristides, Trajanus & Optimus ævi.

Sed Pater omnipotens, rutilantis Præses olympi,
Vidit ut humano divinas corpore dotes;
Non terras æquare licet sublimibus astris,
Non superis decet esse parem virtutis honore
Mortalem; nostri quoniam Te gloria Regni,
Quantumvis juvenem, stimulat, vitæque futuræ
Stat tibi firmus amor circum præcordia, debes
Instabiles migrare Lares, & nobile Sidus
Inter Avos Proavosque Tuos Divasque Sorores
Luce novâ totam coeli fulgere per aulam,
Dixit; mox omnes inamabilis occupat artus
Atque neci Libitina vias aperire laborat,
Viribus infractis. Sic celsi stemmatis Heros
Supremum meditatitur iter, quod ad æthera ducit,
Et nihil instantis formidans Mortis agonem,
Res mundi fragiles spernit, superique perennes
Orbis anhelus opes solito ferventius optat,
Atque DEO gestit devotam reddere mentem.

Te movet hæc meritò, PRINCEPS ERNESTE, ruina,
Dulcis Amor, Spes Grandis, Atlas Inviète Tuorum.
Qui solus lacrimas poterat cohibere priores,
Filius, exequias hic Te jubet ire Parentem,
Ordine turbato Naturæ; hic triste Sororum

Cor.

Germanique sui facit irreparabile damnum.

Vince tamen, tantisque malis oppone virile
Pectus, inauditum Pietatis & exsererobur,
Quam Tua miratur, sed quam stupet exera Tellus.

Sic magni decreta volunt arcana Tonantis,
In quosvis qui jura tenet vitæque necisque
Summa: repugnantes trahit hic ducitque volentes.

Magna quidem, sed spes tamen haut evanuit omnis.
Nostra videt, quod non satis admirabitur ætas
Postera, Saturni quod tempora fausta reducet.
Scilicet illa Sacræ viridantia Germina Rutæ,
Virtutis laudisque Tuæ referentia pulcrum
Schema, salutarem promittunt Civibus umbram.

Tu bonus interea Patriæ Pater, Ara Salutis
Publica, Musarum Numen, felice gubernata
Imperio Gentes, & sceptro jura tuere,
Donec nemo Tuos, nisi dextrâ, computet Armos.

F I N I S.

QX 91/51

Germanicus sui facit interitus
Vincantur tantisq; proleptis
Pescantibus Pictis & existerent
Quam Tharantur sed panni hacti exera Tella
Sic magis doctis vobis arcana T orantur
In quos qui sunt tenet vobis necessitas
Summa: repugnantes hacti hacti hacti hacti
Magni quidem sed spes magis hacti hacti hacti
Nostri videt quod non satis administrant
Posteritanti quod tempora iam a reduect
Sicet illa hacti hacti hacti hacti hacti
Virtus tandisque hacti hacti hacti hacti hacti
Schisma salutarum pronuntium Civium hacti hacti
Tu bonus interea Parisi hacti hacti hacti hacti
Publia Musarum Nuntia, hacti hacti hacti hacti
Imperio Genes, de hacti hacti hacti hacti hacti
Dont vobis hacti hacti hacti hacti hacti hacti

F I N I S

N. C.



Don
Imp
Publ
T
Sch
Vn
Sci
Pof
No
In
Qu
P
G

ULB Halle 3
004 956 29X


VDTT





Sæculi Flor
que Tecum
dies, idem
rumq; toti
mihî fors in
ille clamor
Desiderata
mam Anin
ri concessu
hac vires,
lacrumas
Memorie
PRINCE
Tuus. Q
nibus omni
reposui Gr
mam, quâ
usque diem
subjecti gra
quâ clarun
dignare, q
adeoque cor
mendatos p
TU I, Opti
addat, TEq
Sidus, digre
universa qu
que Familia
florentem.



it, omnes-
mus Anni
it, malo-
Sed utinam
io; & sicut
vidum, ita
I pientissi-
tem mora-
erum, quia
nt; inter
erna Illius
ISSIME
fero, Civis
alis nomi-
aque mente
que maxi-
& in hunc
depositum
sima Manu,
ultu eodem
nignissimo,
TIBI com-
os FILII
ctuti Tua
salutare
eclesia sua,
lissimam-
m atque

